

D. D.

DISSERTATIO ACADEMICA,  
 PRÆSTANTIAM  
**PLANTARUM**  
 INDIGENARUM PRÆ EXOTICIS,  
 LÆVITER ADUMBRANS,  
 QUAM

*Suffrag. Ampliff. Facult. Philos. in Reg. ad Auram Acad.*

PRÆSIDE,  
 VIRO MAX. REVER. atque CELEBERRIMO

**D. N. PETRO KALM,**

Occon. PROFESSORË Reg. & Ord. Reg. Acad. Scient. Holm,  
 nec non Societ. Lit. Upf. MEMBRO.

*Publicæ honorum censuræ modeste submittit,*

AUCTOR & RESPONDENS

JOHANNES HENRICUS ASPEGREN,

OSTROBOTNIENSIS.

Die 6 Nov. Anni 1762 in AUDIT. MAJ.

H. C. A. M.



A B O Æ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

S:Æ R:Æ M:TIS

MAXIMÆ FIDEI VIRO

Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

D: NO CAROLO  
FRIDERICO  
MENNANDER,

S. S. Theol. DOCTORI Celeberrimo.  
Inclitæ Diœceos Aboëns. EPISCOPO Eminentissimo.  
Reg. Acad. ibid. Aur. PRO-CANCELLARIO  
Magnificentissimo.  
Ven. Consist. Eccles. PRÆSIDI Gravissimo.  
Scholarum per Diœcin EPHORO Accuratissimo.  
Reg. Acad. Scient. Holm. MEMBRO Dignissimo.  
MÆCENATI MAXIMO.

Quod Celeberrimum Nomen Tuum exiguis hisce pagellis præscribere, eisdemque sic nitorem quo destituuntur, addere sinis ausus, ex imprudenti forte juvenilis animi impetu factum esse multis videbitur. Sed meliora sapient, si intelligant pietatis atque obsequii esse opus quod molior, non arrogantiae aut temeritatis. Postu-

Postulat enim Reverendissime PRÆSUL hoc homa-  
gum, benignus TUUS adversus suavissimum Patrem  
meum affectus, innumeris ferme exemplis ostensus ac lu-  
culenter declaratus. Postulat hoc quoque insignis be-  
nevolentia & favor, quo me ipsum Cæmentis Auræicas  
frequentantem, comiter excepisti, exceptumque cum spe  
ulterioris favoris dimisisti. Tu studiorum meorum ra-  
tionem sollicitè direxisti, quare etiam apud TE, ME-  
CENAS Maxime, otii & negotii mei ratio constare de-  
bet. Indignus profecto tanto favore essem, si tot tan-  
taque beneficia obscuro involverem silentio. Ingratum  
scilicet iudico, qui sine arbitris gratias agit. Ne igitur,  
quod maxime horreo, horum inserar censui, pietatem in  
TE meam publice declarare debui, utque specimen ejus  
quoddam exstaret, tenuem hanc dissertationem, materiæ  
præstantia atque NOMINIS TUI fulgore tantum commen-  
dabilem, in sinum TUUM cernuus devolvo. Adspicias  
illam serena, ut affoles fronte, meque favoris TUI aura,  
in posterum recreare haud dedigneris. Ipse quod meum  
est strenue faciam, atque supremum NUMEN calidissimis  
quotidie precibus defatigare non desistam, velit TE, Re-  
verendissime PRÆSUL, in longam annorum seriem, sospi-  
tem & incolumem conservare, ut commodis Patrie, Ec-  
clesiæ, Literarum, Familiæ Nobilissimæ, clientum deni-  
que TUORUM quam diutissime sufficias. Sic vovet, &  
dum spirat vovebit

REVERENDISSIMO NOMINI TUO

*devotissimus cliens*

JOH. HENR. ASPEGREN.



*Admodum Reverendo atque Præclarissimo*

**DN. MAG. GABRIELI  
ASPEGREN,**

Ecclesiarum quæ Deo Jacobsstadii, nec non in Pedersö, Alajervi, Lappajervi &c. colliguntur, ANTISTITI  
longe meritissimo.

**PARENTI INDULGENTISSIMO.**

**Q**uemadmodum agricola, bene subacta terra, multisque exantlatis laboribus opimam messem, industrie sive præmium, expectare solet; ita fas omnino est, ut Parentes, qui nullis curis, nullis perpercerunt impensis, quibus liberorum promoverent commoda, fructum aliquem & gaudium, ex horum in litteris & virtutibus profectibus, tandem percipiant.

Quamobrem ut transacti ad hanc Academiam temporis rationem TIBI Indulgentissime PATER, reddam, manipulum solummodo plantarum, ad Heliconis radices collectarum, & hac dissertatione leviter descriptarum, sementis & messis meæ Philosophicæ primitias, quas jure & merito Carissimo Tuo Nomine inscripsi, quæ par est reverentia, TIBI offero. Jure inquam ut PA-  
TRI

TRI, merito ut PRÆCEPTORI solertissimo, cui non tantum vivere meum, sed & bene vivere proxime DEUM, acceptum refero. Tu vero si quid id est, quod TIBI dico specimen, æqui bonique consulas, & animum meum referendi officii cupidum mitiaris non hocce munusculo, sed propensa voluntate, quæ in ratione meæ erga TE observantice, utramq; facit paginam. Nunquam enim erit quod vel ad aras spondeo, quin TE amem & pietate complectar, & Sol citius splendorem, quam ego venerationem & Tui cultum linquam.

Quod superest nullum temere prætermittam tempus, quo ad SUPREMUM NUMEN calidissima non fundam vota, velit TE Indulgentissime PATER, ad seram usque senectutem sospitem & incolumem, nec non omni felicitatis genere cumulatam conservare, ut Ecclesie, quam tenere foves, nostrum omnium qui sincero amoris affectu TE complectimur, & bonorum denique desideria impleas. Sic ex intimis animi penetralibus precatur

## INDULGENTISSIMI PATRIS

obedientissimus filius

JOH. HENR. ASPEGREN.

KONGL. Maj:ts  
TRO-TJENARE OCH ASSESSOR  
VID DESS HOF-RÄTT I FINLAND,

HÖGÄDLE och VIDTLAGFARNE

HERR **J O H A N**  
**I G N A T I U S,**

HÖGGUNSTIGE GYNNARE.

At. Mot. Bevisad. Ynness. Oförtjente. Vålgärningar. Hög.  
omvårdnad. Visa. Något. Fast. Otillräckeligt. Ve-  
dermäle. Af. Djup. Vördnad. Tacksamt. Sinne.  
Tilägna. Herr. ASSESSORN. Denne. Förfsting.  
Af. Mine. Academiske. Skille-Öfningar. Mera. För.  
Ämnets. Än. Min. Oupöfvade. Tanke- Och. Tale-  
påfvas. Värde. Jämte. Önskan. Det. Naturens. Herskare.  
Mätte. Un'er. Talrika. Sälla. Dagar. Tildela. Herr.  
ASSESSORN. Den. Belöning. Naturen. HONOR. Ämnat.  
Och. Är. Svarande. Mot. Dess. Djupa. Insikt. Vidtbekanta.  
Rättrådighet. Trägna. Arbete. Den. Sanna. Rättvisan.  
Til. Hägn. Vårt. Fris. Samhälle. Til. Glädje.  
Räkande. Mig. För. Hög. Åra. At. Til. Stofstet.  
Få. Nämnas.

HÖGÄDLE HERR ASSESSORENS

Ödmjukaste tjenare  
HANS HENRIC ASPEGREN;



*VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo*

# **D. N. PETRO KALM,**

Oeconomiae PROFESSORI Reg. & Ord. longe dignissimo.

Consist. Acad. ADSESSORI laudatissimo.

Reg. Acad. Scient. Holm. Societ. que Litt. Ups. MEMBRO inclitot

Ecclesiae quae Deo colligitur in Piekie PASTORI

longe meritissimo.

Hortique Reg. hujus Acad. PRAEFECTO vigilantissimo;

maxime industrio.

**MÆCENATI OPTIMO.**

**N**on e longinquo petenda est ratio, cur differ-  
rationem hanc TIBI M. O. dicatam esse vo-  
lui. In TE enim quamdiu hanc frequentavi A-  
cademiam, non modo Inspectorem gravissimum, sed  
Patronum quoque & nutritium propensissimum ha-  
bui, cujus tot in me exstant favoris documenta, ut  
filius a Parente plura nec expectare, nedum conse-  
qui queat. Tuis enim consiliis, Tuisque admonitio-  
nibus, liceat verbo dicere, quod plena oratione ex-  
exprimi nequit, facilem in Parnassi jugis inveni viam,  
quam difficillimam reperiuntur alii. Vehementer au-  
tem doleo quod praeter piam gratamque mentem,

ni-

nihil prorsus mihi suppetat, quod redhostimenti loco TIBI offeram. Ut tamen aliqua parte se exserat pietas mea, ne silentio involvens tua beneficia, ingratus judicer, tenellum hunc ingenii mei foetum, & studiorum immaturas primitias, *de Præstantia plantarum indigenarum præ exoticis*, non ut his quasi oblati ære exsolvar Tuo, sed ut meminisse Tu digneris, quam in illo libenter atque cupide quoad vixero futurus sim, Tuo nomine inscribendas & ornandas duxi. Adspicias rogo sereno vultu, quicquid a mea tenerrima in te observantia, profisci possit. Quod reliquum est, nunquam desistam, ardentissimis precibus Supremum Numen fatigare, dignetur TE quam diutissime salvum sospitemque, & omni felicitatis genere cumulatam nobis præstare, in commoda Patriæ longe maxima, Familiæ Tuæ Honoratissimæ dulcissimum solatium, clientumque tuorum præsidium firmissimum. Ego vero vel hoc nomine me maxime felicem prædicabo, quod Tuus sim, dicarque

MAXIME REVERENDI NOMINIS TUI

auctor & cliens humillimus

JOH. HENR. ASPEGREN.





## PRÆFATIO.



**S**ummum quod veneramur Numen, omnia quæ in orbe terraqueo occurrunt corpora, ad suam gloriam & hominum utilitatem creasse, cum sacris literis, tum quotidiana edocemur experientia. Inprimis admiremur divinam sapientiam atque paternum erga genus humanum adfectum, quo diversa loca, & temperato cœlo gaudentia, & continuo æstu pœne adusta, & denique frigoris vehementia, quasi rigida tot tantisque maectavit donis, ut homines & animalia cetera, in qua demum cunque regione fuerint, habeant, quorum ad usum & victum urgente necessitate, indigeant. Quod cum plurimis ostendi posset argumentis, ex singulis Naturæ regnis petitis, attamen ne in prolixum volumen ex cre-

crescat specimen hoc Academicum, intra Regni vegetabilis pomeria nos contineamus, quippe quod idonea rei probandæ documenta affatim nobis subministrat.

Omnia igitur vegetabilia in quacunque nascuntur regione, non tantum indoli ac Naturæ incolarum, id est hominum atque ceterorum animalium adprime conveniunt, sed etiam tanta in his plerumque inveniuntur copia, ut ad illorum sustentationem delectationem & conservationem abunde sufficiant. (Derhami Phys. Theol. de plantis p. 576 in notis.) Nulla enim debilitas, nullus morbus, nullaque necessitas in rebus humanis est, cui ex herbis antidota non parentur & remedia. Quin artificia ipsa orbi plantarum notione adaucta sint; incolumitas servata; aër a noxiis exhalationibus purgatus; sterilitas illata fœcunditate partim imminuta partim sublata. Venenis aliis ipsæ plantæ venena sunt. Quamvis enim Scientia Naturalis nostro ævo insignia admodum ceperit incrementa atque etiamnum hodie capiat plurimæque commoda, quæ nobis præstant plantæ, veteribus Philosophis penitus ignota, Dioscoridum nostrorum opera, feliciter sint detecta; fatendum tamen, nos multa adhuc ignorare, quæ ad usum & adplicationem earum pertinent.

Hoc autem præcipue de plantis septentrionalibus, earumque indolis cognitione valere iudicamus. Habet tamen Arctos suas delicias, atque tot tantaque

mu-

munera nobis concessit Flora, ut in Hesperidum hortis, Poetarum carminibus adeo celebribus, vix plura sint inventa. Non vastæ hic cernuntur arenarum planities, omni herbarum genere orbata, sed campi nostri, sylvæ, montes, paludes & lacus plantarum variarum copiam nobis adfatim subministrant. Quamobrem etiam indefessi naturæ curiosi plures observarunt plantas, ut dicuntur specificas, intra eertum spatium in septentrione crescentes, quam in pari amplitudine regionum meridionalium. (Vide Epist. Gratul. Nobiliss. Dn. Archiat. LINNÆI in Dissert. de orb. Sveo-Goth. Præstant.) Sed sordebant nobis isthæc munera & utinam multis adhuc non sordeant, lautasque floræ dotes galeata Majorum nostrorum virtus contempsit, quocirca non sine gravissimis periculis maximisque impensis a remotissimis eisdemque ferocissimis gentibus, plantas nobis, quibus præstantiores, saltem pares, alit Septentrio, nobis quotannis comparavimus. Atque hoc vitium est non nobis solum verum etiam plerisque Europæ nationibus commune. Chineses proinde jactitare solent se duos habere oculos, Europæos autem unum tantum, quoniam hi perægre ad illos proficiscuntur, vel res ludicras, vel illa sibi comparaturi Naturæ munera, quibus vel carere commode possunt vel etiam quorum æque eximia apud eos sponte nascuntur. Atque sic vaferrima hæc Natio postquam pecuniis nos emunxit, false deinceps nobis irridet. Ast furdo narratur Fabula. Quamobrem cum nunquam



quam satis dicitur, quod nunquam satis dicitur, mihi constitutum est Excercitii Academici loco de præstantia plantarum indigenarum præ exoticis, siue illis præcipue quæ in Asia Africa & America Australibri crescunt, disferere. Si tuo palato Lector Benevole, hoc specimen arrideat aut tuam diligentiam ad penitiorum rei tanti momenti indagacionem sollicitare potero, erit hoc mihi & infanti laboris optimum pretium, & ad alia officia præstanda maximum incitamentum, sin minus, spero tamen Te, pro ea, quæ ingenuos decet humanitate, innoxios hos conatus æqui bonique facturum.

§. I.

**Q**uamvis Gentes a lumine revelato seclusæ, densis ignorantia tenebris premantur, tamen Naturæ luce cognoverunt DEUM omnia creasse in suam gloriam, mundi venustatem & hominum utilitatem; quamvis autem singulares hujus vel illius plantæ virtutes non detegerent, in eo tamen omnes generaliter convenerunt, Vegetabilia non frustra sed in Animalium usum esse creata, adeo ut etiam ea, quæ noxia putantur nobis admodum inferviant, modo prudenter adhibeantur: Et stipes certe erit, quisquis nostrum hodie, qui in clarissima

scientiarum luce versamur, rem tanti momenti in dubium vocare audeat. Si quæ tamen ignorantia siue veræ, siue fictæ spicula animo alicujus defixæ hæreant, eadem mox evellere conabimur. Ante vero quam longius in egregio hoc progrediamur campo, paucis observamus corporum naturalium essentiam nobis adhuc ignotam esse, quamobrem etiam de corporibus nihil ex priori cognoscimus, sed per observationes & experimenta, iusta *anæsthesia* instituta indagandas esse cujusvis Herbaræ proprietates & effectus. Hac ratione veteres Philosophi ad plantarum cognitionem pervererunt, hanc quoque semitam nos calcabimus in naturæ adyta penetraturi. Concedimus equidem hunc laborem valde difficilem esse, oleum tamen & operam non frustra impendi, probant observationes incolarum australes terras inhabitantium. Sicut enim hi inde ab antiquissimis temporibus ingentem collocarunt operam, in explorandis herbarum viribus apud eos crescentium; ita etiam non sine insigni successu hoc stadium sunt emensi. Suas enim experientias cum majorum observationibus comparando inveniverunt non tantum virtutem atque usum herbarum indigenarum tam in Oeconomia quam in Medicina, sed etiam prorogatis indies Europæorum commerciis ingentem horum vegetabilium farraginem non sine maximo lucro nobis divendunt. Quid? quod apud multos invaluerit perversa opinio, vegetabilia nostris corporibus utilissima in exteris tantum regionibus reperiri.

Hinc multi præstantiam plantarum non ex viribus jugiter exploratis sed ex distantia locorum, ex quibus adferuntur vel saltem allata narrantur, æstimare solent; Naturam proinde duram judicantes novercam, quæ longissime a nobis removet, quicquid nostram felicitatem & salutem promovere possit. Imprimis vero isthæc sententia gentium septentrionalium præcordia occupavit atque in eisdem alte infedit. Quocirca dum prioribus seculis alii populi disciplinis Oeconomicis operam navabant, hi horrida Mavortis castræ catervatim sequebantur. In campis, quos non aquis sed Sangvine irrigabant, non floræ divitias ibi luxuriantes, sed cruenta quærebant tropæa, imitati sunt hac ratione morem Romanorum, qui aliam ignorabant gloriam, quam inter armorum strepitus quæsitam & partam, omnesque artes manuaras, ceterasque, etiam quibus honeste victum & amictum comparare possent, sordidas putarunt, non ingenuis non Quiritibus, sed servis & mancipiis dignas. Facessant autem ejusmodi opinionum monstra in perniciem generis humani excogitata, mansuetioremque vitæ rationem colamus; nec ea contemnamus vegetabilia, quæ in septemtrionalibus terris sollicita producit Natura, quamvis magna apud nos copia reperiantur, nec raritate sed utilitate plantas æstimamus. Quam exiguum vero pretium plantis etiam utilissimis statuamus, cum plurimis ostendi posset exemplis, tum unico, quod memini me pridem a viris fide dignis audivisse, erimus contenti, ne plu-



plura adferendo nostros fatigemus Lectores. Accepimus igitur apud Principem quendam regionum australium, hominem, e Septemtrione ortum, multum gratia valuisse, adeo ut familiaritate sua sæpius ipsum sit dignatus. Atque ut adfectum suum ipsi testaretur, ad instructissimum & herbarum omnium copia ornatissimum hortum hunc invitavit Princeps, Hospiti suo ubique monstravit Naturæ miracula, partim venusta forma, partim eximiiis coloribus partim denique gratissimis Phænomenis commendabilia. Quæ cum admirètur Hyperboreus, ipsi prædixit se fruticem huic ultimo monstraturum, qui reliquorum omnium utilitates unus in se complecteretur. Ad hunc igitur locum ubi rarissimus colèbatur frutex, anhelus properabat incola Septemtrionalis, Sed quid vidit? Ostendabatur ipsi Juniperus quædam ex septemtrione nostro advecta, qua cum se oblique irrideri putaret Borealis noster, respondit, istum fruticem tot tantisque præconiis minime dignum esse, utpote in terris septemtrionalibus vulgatissimum, Indignatus rursus Princeps sibi fidem non haberi, Utilitates hujus fruticis quas plerasque significare promiserat, reticuit; nihilo tamen minus ingenue est professus, illorum populorum felicitatem non satis admirari posse, in quorum terris frutices adeo utiles sponte sua nascantur. Sit autem hæc narratio vera vel ficta, ostendere tamen vult nos sæpius eas patriæ dotes contemnere aut spernere, quibus tamen summum prætium debetur.

Cum exteri nostras indigenas plantas tanti faciant, quamobrem quæso nos easdem contemnemus & exotica eligemus; Profecto ut DEus & Natura nihil frustra faciunt; ita plantas apud nos prognatas corporum nostrorum constitutioni magis quam exoticas convenire, credere omnino par est. Quodnam enim vinculum, quæ relatio, inter bonitatem Divinam quæ hominum invigilat commodis, & quotidianas nostras necessitates, si vegetabilia illa, quæ nostris usibus adprime inserviunt, ex exteris tantummodo regionibus non sine maximis periculis & impensis essent comparanda?

§. II.

Plantarum indigenarum utilitates generalibus hætenus vindicavimus argumentis, antequam ad specialia, quibus major probandi vis inesse haud immerito censetur, descendimus, paucis expendamus commoda ex herbis exoticis redundantia. Non singulas jam perlustrabimus aut delibabimus plantas, quippe cui labori nostri omnino sunt impares humeri, sed illas tantum excutiamus, quarum in vita communi frequentior est usus. Taceo jam sumtus ad comparisonem harum necessarios, eosdemque ingentes; taceo etiam pericula, quæ argonautæ nostri subire coguntur maxima; verbo monuisse sufficiat quod quotidiana constat experientia, illas valde non tantum enervasse atque debili-

bilitasse homines nostros. qui ipsas in deliciis habuerint, sed etiam varios introduxisse morbos, nobis antea penitus incognitos.

HERBA NICOTIANA exotica quædam planta post inventam Americam ubi ex antiquissimis retro temporibus culta fuit, in Hispaniam primum est dilata, magis fortassis ad ornandos hortos, quam ob vires quasdam eximias. Interim tamen haud ita multo post, per totam ferme Europam graviter fuit exculta, adeo ut nostro ævo multi sint, qui majores huic impendunt curas, quam agriculturæ. Perfrictæ adeo non sumus frontis, ut contendere-mus ipsam omni plane destitui utilitate, probe gnari, frustra nihil esse conditum; tanta autem illa non est, ut insignem, quæ eidem impenditur, mereatur curam. Dicunt quidem hujus Patroni quod superflui humores per hanc, convenienti modo paratam, e corporibus nostris extrahi. Sed dic fodes, unde constat hos humores esse superfluos, & si re ipsa tales sint, cur hujus usus continua fere postulat potulenta. Illius quoque ope, ut ajunt minuitur fames, adeo ut latrantem stomachum solito diutius sedare possimus, sed idem etiam aliarum herbarum ope effici potest. Levia admodum hæc dices commoda, habita, uti par est justa incommodorum ratione, producit enim ejus usus sæpe Phtisin, crassæ particulæ cerebrum enervant, totam nostram debilitant naturam, immo ebrietatis aptissimum sunt instrumentum. Usus autem Tabaci cum



omni ætati, tum præcipue adolescentiæ, minime convenit; extrahit enim & dissipat humores ad vigorem corporis maxime necessarios, quibus temere subductis, memoriæ vis justo citius minuitur, atq; ingenium, etjam acutissimum, sensim sensimque hebescit: Ut alia eademque multa reticeam incommoda, quorum mentionem faciunt Æsculapii Filii. Quamobrem etiam hodiernus Rex Hispaniæ inter gravissimas curas, quibus circa imperii auspicia occupabatur, frequentissimum Tabaci usum qui in Iberia pridem invaluerat, severe admodum interdixit, ceu ex novellis publicis, haud ita pridem constitit. Mittamus autem hos fumos quibus cubilia passim & quotidie obnubibantur; laudent illos quibus commodum est fumos vendere & leviter consideremus

**PULVEREM STERNUTATORIUM,** qui ex hac herba paratur, quemque multi adeo in deliciis habent ut non solum interdum affatim eodem utantur, verum etiam ne noctu quidem commode dormire queant, nisi eodem iterum iterumque recreentur. Sicut autem nemo fere tam insipiens reperitur, qui non sibi sapere videtur, ita etiam ab usum hunc variis palliare solent rationibus. Pulverem igitur hunc nasum & caput a sordibus purgare crepant; nescio autem an tot injecta purgamenta nasum tersiorem reddere queant. Hoc autem probe scio, multos pulvere modo memorato usos fuisse, donec facultatem tam distincte loquendi

di quam olfaciendi valde imminuerit. Esto autem has secretiones quibusdam hominibus necessarias esse, herbæ nostræ illis propinatae eosdem præstabunt effectus, nisi mens nobis læva sit.

Huc referri potest ASARUM (*Europæum*) Sv. *Hassel-drt* LINN. Flor. Svet. 421. quæ planta ad sternutamentum præ aliis bona est: Vid. Cel. Dn. Doct. & Prof. Leche primitias Floræ Scaniæ p. m. 9. Flores Lili Convalii aliæque.

THEA frutex est in oriente crescens, ubi in Regnis Japonico & Chinesi præsertim colitur. Folia quæ discrepantis inter se sunt magnitudinis, & proinde etiam pretii, veris tempore colliguntur, collecta modico igne exsiccantur, exsiccataque dextre convolvantur, ac potui destinantur. Quantis in deliciis nos illam ponimus, tantum nostras herbas imprimis Salviam expetunt populi orientales. *Les Marchands Hollandois ont si bien peu leur persuader, que la Sauge a des effets, & des vertus extraordinaires, qu'à la Chine on leur donne deux livres de Thé pour une livre de Sauge, & ce qu'il y a de fort plaisant, c'est que les Chinois s'en trouvent bien, vid. Observations Curieuses sur toutes les parties de la Physique Tom. II. p. 422.* Varias habere vires dicitur, quas nec omnes in dubium vocabimus, multæ tamen non tam ipsi quam aquæ copiosæ haustæ sunt tribuendæ. Vertigo & dolores capitis a crapula orti hujus potu mitigari solent, sed cum Theæ folia solum sumta hoc præstare ne-

queant, evidens est hunc effectum aquæ fervidæ tribuendum esse. Lympha enim, præsertim ubi tepida fuerit, nostris corporibus est convenientissima, dissolvit enim concreta in nobis salia, diluit acria, attenuat crassa, farinacea, itam glutinosa & gelatinosa; Ipsa denique pingvia si non solvit saltem fluidiora reddit adeoque & minus hæsitantia. Hoc autem ubi perfectum est, quid multi obsecro, Theæ ejusque foliis restat, quod efficiat. Dum vero aquam tepidam quotidie & mane & vespere adhuc vacuis copiose sumimus, debiles admodum reddimur, sanguis enim ista abundantia malleabilitatem suam amittit, & venæ quæ laxiores continuo fiunt, sua privantur elasticitate. Sed demus aquam insipidam adjectis foliis plantarum, sapidiorem esse reddendam, cur proprias contemnimus plantas quæ sapore exteris pares sunt, virtute autem facile superiores? cur Veronicam a multis prolixè laudatam & capite renibusque adprime convenientem, alto fastidimus supercilio? cur Salviam ab exteris expectitam & in variis morbis utilissimam negligimus? Cur denique Juniperi bacæ a majoribus nostris ad quotidianas decoctiones adhibitas (Vide Mundium in Lumine Physico) quæ morbos pellunt & vigorem corporibus reddunt, adeo fastidiantur? Quid quod cui libet homini, non una eadem planta Theæ loco conveniat, sed secundum cujus naturam atque morbi genus, aliæ atque aliæ herbæ Theæ loco usurpandæ sunt, illæ scilicet quæ huic naturæ atque morbo imprimis utiles sunt. Sed in recensendis plan-



plantis Theæ loco adhibendis, tanta cura & laude versatus est Illustris Archiat. & Eques Aur. LINNÆUS, in hoc argumento vix quicquam desiderari queat.

Gustavimus *Theam*, delibabimus jam aliud potulentorum genus quod COFFEE dicitur. Crescit arbor ex qua hic Fructus paratur in Arabia, colitur & in Battavia aliisque locis, duas vel tres messes quovis anno præbet. In Europa ante seculum XVI penitus incognita, ex quo tempore tamen palatis nonnullorum ita arrisit, ut liquorem hinc paratum cum Nepenthe a Poëtarum Principe Homero, tantopere celebrato, comparare non dubitaverint. Decoctum ex Fabis his tostis, atque in pulverem redactis, cum aqua fervefacta more solito paratum, eam habet speciem, qua credibile est Jus Nigrum Lacedæmoniorum, cujus meminit Pollux Libr. 11. Cap. 9. olim fuisse. Nec hic potus omni destituitur usu. *C'est a la dissolution de ses sels & au melange de ses sulfres dans le sang, qu'il faut attribuer les proprietes qu'il a de faciliter la digestion, de precipiter les alimens, d'empêcher les rapports des viandes & d'éteindre les aigreurs, lors qu'il est pris apres les repas; C'est par là que la fermentation qu'il cause dans le sang, utile aux personnes grasses, replettes, pituiteuses, ou sujettes aux migraines, devient nuisibles aux personnes maigres & bilieuses ou qui en usent trop frequemment. Vide observat. Curieus. Tom 1. p. 401.*

Præclari omnino usus, sed quorum plerique sine discrimine constitutionum debito accedente motu facilius obtinentur. Potus autem hic sicut nec colore nec sapore gratus est, ita nostris corporibus minus convenit. Quotidianus enim ejusdem usus animum reddit tristem horrendaque producit insomnia. Et licet inlitam flatulentiam torrefactio quodammodo minuat, non tamen eam apud omnes emendat; sulphureæque particulæ crassiores sanguinis motum incitant: quamobrem etjam æstuantem in corporis libidinem augent. Peripneumonix fomitem præbet, membra quoque nostra tremula reddit, atque intestina sensim sensimque adeo atterit, ut finem vitæ, etiam robustissimis accelerat. Torpedinem quidem aliquamdiu pellit; quod ut requiri fortasse in fervidis Asiæ regionibus possit, ita in borealibus ubi serenius est cælum & temperatius supervacaneum erit, saltem ut huic malo e transmarinis locis medicina accersatur. Quæ tenuis nostris Cerevisia dicitur, cerebrum quidem minus quam Coffeæ infusum turbat, sed excoctum melius est, & sitim jucundius sedat, & incorruptius alit, nec minus convenit ac prodest debilibus quam ægris.

Tertium quod apud nos invaluit potionum genus, ab Americanis ad nos transmissum, CHOCOLADA dicitur, quod inter juscula fariaceæ, vel feminum emulsionem rectius referatur quam potuum genera. Conficitur autem Chocolada ex Saccaro Vainil-

nillo, nucleis Cacav seu Theobromatis aliisque seminibus, quamvis populi Novam incolentes Hispaniam huic potioni Vaynillum nunquam immiscere perhibeantur; causam interferentes potum hunc sibi perquam insalubrem futurum; quorum tamen experientia a crebro ejusdem usu nos absterrere non potuit, insuper quemadmodum supra demonstravimus, quod singulares proprietates, quæ Theæ vulgo adscribuntur, lymphæ quoad maximam partem sit adscribendæ, ita etiam maxima pars nutritivæ illius virtutis quam Chocoladæ inesse existimant harum rerum rudes, lacti quo ceteræ species copiosæ diluuntur, est vindicanda. Hoc enim convenientissimum esse debet, viscerum carniunque poris, utpote per quos transcolatum fuit jam ante, quam conficeretur in uberibus; quod & Chylum merum refert, & totum sangvini miscetur, mixtumque immanet, a cujus proinde copiosa & diuturna exhibitjone animalium fœtus omnes insigniter crescunt & augentur. Dignissima igitur sunt verba Med. Reg. & Assess. Nob. Dn. Nordenhielmi quæ hic adferantur, quippe quæ nostram egregie confirmant sententiam.

Allt hvad GUD och Naturen genom Landets cultur som på mångahanda sätt kunde förbättras och ökas / gifwer / det agtas söga / det smakar intet som ej ifrån främmande orter är inkommit; Indierne måste meddela oss de skarpaste och hitfigaste Krydder til maten. Men smaken bringar oss om helsen och förkärta lifvet. I ty kroppen



pen och blodet fylles derigenom med hettande och förtärande Skarpheter; ingen Drufwe ort är hwarifrån icke alle Wijn-sorter måste hitföras och nyttjas/ hwad de skänna hellsan och Landets redbaraste inkomster/ lärer dageligen/ men efter handen mer och mer stånas. Vide ejusdem adnot. circa Doct. & Profess. LOFVERI sic dicta *Hafre-Cuur*. p. 33.

Non equidem dubito strenuos harum potionum vindices ac Patronos hoc loco nos intercepturos, argute contententes, earundem abusu tanta nobis accelebrare mala & incommoda, nec abusu tolli usum. Præclare omnino hæc ipsa & monentur & differuntur. Sed observes velim commoda potionum modo memoratarum, exigua admodum esse, contra autem incommoda & maxima & plurima, quare si verum est, uti verissimum judicamus, quod monent Philosophi, minus malum præferendum majori; sequitur, nos rectissime facere naturæque convenientissime vivere, si delicias istas populis sub calidiori cælo natis, relinquamus, iis vero iugiter utamur donis, quæ manu minime parca, nobis distribuit Supremus rerum arbiter. Saltem ineptum est, non sine maximis periculis plantas ab exteris comparare magis nobis obfuturas quam profuturas.

Quos hætenus recensuimus liquores, virorum vanitati ac fœminarum mollitiei sua debent & incrementa & progressus. Antequam vero illi innotuerunt, per regiones Europæ meridionales coleban-

bantur *vites*, quæ cum clima boreale ferme horrent, ad nos Succus Uvarum seu VINA, non sine maximis impensis & laboribus quotannis fuerunt advecta, imo quotidie adferuntur. Quicunque autem vel materiam, ex qua ista exprimuntur, vel modum, quo conficiuntur, perpenderit, facile animadvertet, hæc corporibus nostris magis convenire quam in antecedentibus nominata cetera potulenta: Tanta est quoque Vini utilitas, ut nulla regio omni Vinorum usu commode carere queat.

Nam ut Dioscorides ait: omnis Vini natura calida est, vires ac motum corpori parat, eo quod calefacit, & reficit. Cavendum tamen ne quid nimis. Sicut enim Vinum modice haustum valde nobis prodest, ita etiam perquam noxium est immodice illud sumentibus. Hinc Naturæ Curiosi, in regionibus, quæ Vinis luxuriant, frequentiore concretionem calculorum observarunt, quæ in terris septemtrionalibus nec infrequens est, postea quam quæ nobis denegavit Vina tellus nostra per Commercia studiose accersimus, quam longa serie ingens morborum caterva comitatur, ut dolor Nephriticus, Apoplexia, violenti Spasmi, obtusificationes, passionis frigidæ, nodosa Podagra aliiq; ideoque eleganter Hippocrates quodam loco dicit. In Vino morbus & sanitas, temperantia & feritas, bellum & pax. Sed nec siti tamen in septentrione conficeretur Bacchus, si huc accederet, sed præstantissima ipsi porrigeremus Vina, non quidem ex uvis sed ex baccis plantarum, quas nostra tellus co-

piose gignit, expressa. Sive enim saporem sive odorem sive colorem quæras, dubito, an nostra vel Falernis cedant. Abundantem autem harum penum nobis instruxisse naturam, immensa fragorum succi, saporisque eximii copia & varietates, quibus colles nostros camposque operit, fatis demonstrat, quorum ex parte ne nomina quidem ipsa reliquis orbis habet. Quamobrem etiam Angli, licet vino omnis generis abundant, musto tamen ex baccis RUBI (*arctici*) Sv. *Ufer-Bair* Lin. Fl. Sv. 448.) expresso sic delectantur, ut idem Cyprico & Hungarico vino anteponant. Et si Oeconomi nostri olim tantos faciant prograssus, quantos recentioribus fecerunt temporibus, nullus dubito, quin exteri sterilitatis terras septentrionales iterum iterumque increpare desinent.

De unico adhuc liquore agamus, qui Anglis, si non compositionem saltem, ut videtur, nomen tamen debet: potulentum quod instar terrestris Nectaris a multis colitur & POLOPUNTZIA Sv. *Pouunch* vulgo dicitur. Conficitur autem illud ex Arac aut vino quovis adusto & succo malorum Citreorum, admittis insuper aqua & saccharo. Si singula jam ad vivum refecaremus, facile omnino foret ostensu, potum hunc, aqua licet dilutam eandem fere cum vino adusto habere virtutem, sanguinis motum in corporibus ex ipso accelerari, nimiumque exitare fervorem, qua quidem re acutissimi etiam morbi existere possunt. Sed hæc ipsa aliis, qui in arte Medica & Chemica insignes fecerunt



runt progressus excutienda relinquimus. Hoc tantum monuisse juvabit, quod loco succi citrei commode adhiberi queat alius succus ex Baccis BERBERIDIS *vulgaris* LINN. Flor. Sv. 311. quæ copiose apud nos nascitur, expressus; ita tamen ut nihil grato decedat sapor, ceu prolixè ostendit Illustris Ankarkrona in *Actis Academiae Regiæ Scient. Holmiens. A. 1743. 1. quart.* Et quis nostrum negare ausit, quin ex nostris quoque herbis parari queat spiritus Araco nec sapore nec virtute dissimilis.

Sunt insuper plurimæ plantæ, quæ ab exteris ad nos quotidie adferuntur, sed quoniam hæ vel civitate indigenarum herbarum sunt donatæ, vel etiam parcius adhibentur, adeo ut in Pharmacopæis tantum locum inveniant, harum examini jam supersedeamus; ne extra Oleas vagari videamur.

Quamvis autem quilibet, qui non talpa domi & Lynx foris est, ex eis, quæ in medium jam allata fuerunt, satis superque colligere possit præstantium plantarum indigenarum præ exoticis. Nihilo tamen minus, ut plenius idem demonstramus, fingamus duos infantes A & B, paris omnino constitutionis in lucem edi: Parentes ipsius A inde a teneris illi delicias illas, Asiaticas & Americanas propinent, contra autem B, his omnibus destituatur, nec alia ipsi præbeantur alimenta, quam quæ ex nostris vel plantis vel animalibus vulgo parantur; Ex Ephebis vix excedent, cum

diffimiles adeo fere erunt, ac mollissimus Indus, atque robustissimus Dalekarlus. Ille enim mollis, gracilis, & tantum non junceæ formæ, pallidus etjam & tremulus, adeo ut fere non hominem sed vivum & mobile referat sceletum: hic autem nervosis instructus membris proceraque forma commendabilis, in laboribus exantlandis impiger & indefessus, nec non inter frementes periculorum procellas imperterritus. Non equidem nimiam obesitatem magni facimus, sed more veterum Gallorum, ipsam potius vituperandam quam laudandam censemus, sed nec eorum probamus institutum, qui multis curis & magnis impensis corpus suum macilentum ac debile reddunt.

### §. III.

Exotica diu satis nos tenuere arva, ubi plantas eximias quidem invenimus, sed si salutis & proprii commodi habeatur ratio, nostris minime anteferendas vegetabilibus. Enimvero ex instituti nostri ratione jam intra pomœria nostri Septentrionis nos conferimus, præstantiam plantarum nostrarum specialibus, quantum rudis ferat Minerva, vindicaturi argumentis. Inter has autem partim Æsculapii reperiunt filii, quibus morbos tam hominum quam animalium reliquorum depellant, partim industrii colligere possunt Oeconomi, quibus commode, sed sine magnis vivere queant im-

pen-

penſis. Eſto tamen, quod exoticæ dentur plantæ, quæ propter admixtam majorem ſulphuris, ſalium aliorumque particularum copiam, quam in noſtris deprehenditur, celeriores in corpore producant effectus, cavendum tamen ſimul omnino eſt, ne vehemens hiccæ motus pretioſiſſimam hanc machinam deſtruat potius, quam contractos emendet naves. Fida certe docuit experientia, exoticis medicamentis hunc vel illum morbum fuiſſe ſublato, in ejus vero locum oppido ſucceſſiſſe alia, depulſo graviora. Quæ autem ſub eodem ac nos nutritæ ſunt dio, vel æque celeriter optatos præſtant effectus, vel morbos ita pellunt, ut integram reducant ſanitatem. Quibus accedit, quod has, niſi ſalutis noſtræ incurii ſimus, & omni fere tempore & ubique locorum nanciſcamur, cum propter diſtantiã regionum, extraneorum adipiſci remedia, eo tempore cum maxime deſiderantur, non poſſimus. Hospitantur in inteſtiniſ noſtris variæ ſordes ac purgamenta, adſumtorum ciborum exuvia, quæ primas vias ita nonnunquam claudunt, ut obſtrictiones alioſque producant morbos. Quamobrem purgantia, dum proba modo obtinentur, maximi fecerunt Medici. Horum quoque ſeraciſſima eſt noſtra patria, quorſum cum varias referimus plantas tum imprimis. ASARUM Sv. Haſel ört LIN. Fl. Nov. edit. n. 421. RHAMNUM *frangulam* Sv. Braſwed ib. 203. *Linum Catharticum*, Roſas, multasque alias vi purgandi eximia præditas. Et cum *Rhabbarum* ita læte jam vigeat in noſtris hortis, ut



prope indigena dici possit; quid plura hac in parte desideremus?

Verum quidem est, quod harum nonnullæ nimis violenter aggrediantur corpus nostrum, non tamen propterea temere sunt rejiciendæ, præsertim cum exoticæ etiam hoc plerumque laborent vitio. Profecto nulla fere plantarum a nobis nuper nominatarum, tanta violentia in corpus sævit ac Colocyntha, Jalappa, aliaque vegetabilia, quæ superiore seculo ex utraque India copiose adferebantur, quæque dum purgant, ipsa viscera sæpe arrodunt. Quemadmodum igitur Chemici, Spiritus corrosivos, etiam fortissimos, admixtis aliis liquoribus ita temperare solent, ut nobis evadant convenientissimi, ita nihil omnino impedit, quin ex vegetabilibus modo recensitis, additis aliis remediis, optima parari queant purgantia. Atque idem de usu aliarum plantarum indigenarum, quæ prima specie noxiæ videntur, est tenendum.

Noto quoque notius est *Corticem Peruvianum*, quem peritissimi Medici haud ita pridem non nisi rarissime & tanquam remedio quodam Heroico usi fuerunt, nostro ævo ob præclaras vires ita passim commendari, ut pro Medicina universali in omnibus morbis, præcipue in febribus intermittentibus, tantum non habeatur. Nascitur autem in nostris littoribus planta, quæ prope eadem virtute febres pellendi gaudet, quæque præterea  
Ca-

Cachecticis, Hypochondriacis, Podagricis, aliisque similibus morbis laborantibus ingenti est solatio, quamvis alga vilior habeatur, proindeque pedibus nostris sæpe quotidie conculcetur, intelligo GENTIANAM (*centaurium*) var.  $\beta$  LIN. Fl. Sv. 232. Sv. Arun.) cujus vires Celeberrimus Botanicus Marchant sequenti modo prædicat: *Les experiences que quantité de gens sauent, & que même tout le monde peut faire sur la petite Centaurée, en sont des preuves convaincantes; Car si l'on en fait une forte infusion; si l'on en donne la poudre en substance, ou que l'on en donne l'extract, si memè l'on en fait prendre des decoctions pour la guerison des fièvres, on trouvera que selon des saisons & selon les fièvres elle produira souvent d'aussi bons effets qu' en produit le Quinquina, & peut être que cette plante auroit encore des effets plus certains, si on l'avoit autant combinée qu' on a fait le Quinquina.*

RUMEX acetosa Sv. Ang-syra. LINN. Fl. Sv. 318. quæ copiosissime in agris nostris crescit & melior & fortior. est Acetosa Hispanica, quam tamen magna copia adferendam curamus, ad usum medicum.

*Viola Syrupus* in omnibus occurrit Pharmacopæis, magnumque in Medicina præstat usum. Hunc vero ab exteris quotannis comparamus, quamvis VIOLA (*odorata.*) Sv. *Akta Violer.* LINN. Fl. Sv. 784. ex qua ipse paratur, sponte sua in nonnullis nostris nascatur oris. Optandum solummodo est, ut planta hæc majori, quam hætenus factum est, cura

cura colatur, quo ipsi hunc syrupum conficiamus, rejecto extraneo, qui rarissime sincerus habetur, cum floribus Aquilegiæ in nostrum detrimentum plerumque adulteretur.

ACORUS seu Calamus Aromaticus officinarum Sv. Kalmus. LINN. Flor. Sv. 297. parem habet effectum cum *Acoro vero* qui partim e China partim ex America ad nos advehitur. Radicem ejus pulverisatam, Aromatum indicorum succedaneum esse refert Illustr. Archiatr. LINN. in Flora Sv. Loco cit. Docuerunt etiam observationes quod GEUM tam *urbanum* Sv. *Näglicke=rot.* quam *rivale* Sv. *Humle=Blomster.* LINN. Fl. Sv. 460. & 461. parem, si non majorem nobis præstent usum, quam Exotica illa Anthophylla, quoniam illa magis corporibus nostris conveniunt, hæc autem plerumque ad nos corrupta perveniunt. Potest & rivale hoc Geum, loco Corticis Peruviani in febribus intermittentibus adhiberi, ceu Primus in itinere suo Americano detexit Celeb. Dn. PRÆSES. Gentes Americae multa habere remedia, ut dicuntur specifica, nulli dubitamus, quæ tanquam totidem colunt mysteria, ne in aliorum populorum notitiam perveniant. Ad hæc referenda est radix ab Anglis The Rattle-Snakeroot adpellata, quam contra morsus viperæ Caudifonæ, Pleuritidem, Peripneumoniam, aliasque febres Phlogisticas adhibuerunt. Tandem autem per Tennentium detecta fuit hæc planta, simulque constitit, illam esse genuinam speciem POLYGALÆ: Ab Americanis ad Gallos transiit hujus plan-



plantæ usus, qui defectu illius, radicem Polygalæ nostræ vulgaris in similibus febribus phlogisticis adhibuerunt eodem eventu, quamvis debiliori vi gaudeat. Vid. Dissert. Dn. HASSELQUISTII de viribus plantarum p. 15.

Magni utique in gravissima hac recensemus ponderis auctoritatem & testimonium MARCHANDI, inter laudatissimos seculi proximi præterlapsi Botanicos, celeberrimi; qui cum VIII. annorum spatio Græciam, Ægyptum & majorem partem Africæ, perægre lustraverat, atque in his terris non solum accuratissime omnium corporum naturalium virtutem atque efficaciam, observaverat & exploraverat, verum etiam consortio doctissimorum harum regionum Medicorum, a quibus sollicitè omnia percontatus fuit, usus fuerat; in patriam demum suam reversus, sapius adferuisse dicitur, intra pomœria provinciarum nostrarum & plura & simul utiliora crescere vegetabilia, quam quæ in omnibus illis regionibus deprehenduntur, per quas non sine ingenti periculo erat profectus. Non tamen propterea peregrinationes extra patriam inutiles esse censuit, cum & Physicus & futurus Medicus plura, quæ ad virtutem plantarum adtinent, brevi tempore etiam a Barbaro discere queat, quam Scholæ longo spatio expromere valeant, sed exhortari solummodo voluit Naturæ curiosos, ut majori cura in culturam plantarum indigenarum incumbant, quam hæctenus factum est. Hoc autem tanto magis necessarium ducimus, cum multiplex do-

cet experientia, quod multæ extraneæ plantæ, quarum tamen usus apud nos crebrior est, tam laxa sint compage, tantamque exhalationum copiam continuo emittant, ut vires fere omnes ante emerint, quam ad nos ex remotissimis perveniant locis. Huc referenda sunt *Balsamum de Mecha*, *Corpo-Balsamum*, *Flores Stæchadis Arabicæ*, *Lignum Asphaltum* &c. Nihilo tamen minus adeo invaluerant præjudicia, ut audito singulari plantæ cujusdam ab exteris ad nos advectæ nomine, singulares quoque eidem inesse virtutes, mox omine-mur. Hinc artificii omnibus Chemicis in subsidium adhibitis, eandem examinamus, & si quem forte usum deprehendamus, eundem plus satis extollimus. Si autem paulo post contingat, ut eandem plantam in nostris crescere oris animadvertamus, perit pretium, tacentque præconia eidem tributa, taciteque indignamur naturam tantum munus nobis fuisse largitam, manifesto indicio, plantas exoticas sapissime non propter utilitates, sed propter distantias locorum a nobis probari. Ex ampla exemplorum farragine, quæ adferri possent, quædam solummodo delibabimus, quæ cæteris illustriora putantur. Vergente igitur superiori seculo, Medicus quidam, e Gallia ortus, sed eo tempore in Portugallia vitam degens, amicis suis, Parisiis viventibus, folia nonnulla plantæ cujusdam e Brasilia in Europam haud ita pridem advectæ transmissit, cujus vim in variis morbis tollendis dignis factis laudibus celebrare non potuit. Prolixè enim  
 ab i-

ab ipso commendabatur ut optimum specificum in Pleuritide, Paralyfi atque in omnibus febribus intermittentibus. Præcipuum autem pretium eidem statutum, quod foliis SENNÆ acrimoniam & saporem minus gratum adimeret. Florebant tum Parisiis Botanici præstantissimi MARCHANT & HOMBERG, quibus folia hujus plantæ pæne contrita, ut industriam ipforum illuderent, nec speciem agnoscerent, obtulerunt, atque ut fucum naturæ curiosis facerent, nomine Brasiliensi *Yquetaja* illam cognominarunt. Enimvero arte arte illudit ingeniosissimus ille HOMBERG. Sedulo enim considerans hæc folia, forte vidit grana quædam hinc illic gliscentia, quæ plantæ hujus seminæ esse sagacissime conjiciebat. Terræ igitur eadem mandavit, nec sine stupore animadvertit, hanc plantam, ipsa etiam barbarie inclutam factam, esse illam, quæ a CASPARO BAUHINO vocatur *SCROPHULARIA aquatica major*. Detecta erat facies, supererat virtutes ejus indagare, factisque experimentis invenit ipsam parem omnino cum Brasiliensi *YQUETAJA* præstare effectum, tam foliis SENNÆ suam privando acrimoniam, qua morborum gravissimorum violentiam minuendo. Qui plura desiderat adeat *Les memoires de l'Academie Royale des sciences de Paris pour l'annee 1701 p. m. 275 & seq.*

Simile quid in Patria carissima haud ita pridem contigisse, in memoriam mihi revoco. Scilicet cum alii populi, tum imprimis Angli, nobis attulerunt herbam quandam, quam nomine ad genium lin-



gvæ Americanæ emollito, rectius depravato JACKAS-  
 HAPUK, (\*) adpellarunt. Hæc Tabaco admixta, ejdem  
 & gratum præbere dicebatur saporem, & amœ-  
 num odorem. Fides eriam dictis, per facta a no-  
 bis experimenta consistit. Sed quæ ambitiose quæ-  
 sita fuit planta, haud ita multo post penitus est  
 explosa; Ut enim nobilissimus D. D. Archiat. &  
 Eques de Stella Polari LINNÆUS notis fallere nesciis,  
 ostendit illam esse ARBUTUM (*uram ursi*) Sv. *Mid-  
 Ion-ris*. LINN. Flor. Sv. 358. nostrates a dignitate  
 sua remotum censuerunt, plantæ folia tabaco ad-  
 miscere, quam suis quotidie conculcarunt pedibus.  
 Inveniverunt nihilo minus Medici Montis pessulari  
 illam nobis præstare usum, qui opinionem etiam  
 nostram superat; folia enim ejusdem in pulverem  
 redacta, & quotidie matutino tempore sumta dosi  
 unius drachmæ in jusculo gallinaceo, X vel XIV  
 dierum spatio, excellentissimum fuerunt remedium  
 contra calculum. Immo contendere audent hi Phi-  
 losophi, ipsum lapidem totum, nonnunquam fuis-  
 se comminutum. vid. *act. Societ. Svec. Anni MDCCXLII  
 quart. ult.*

Miremur igitur providam Naturæ curam, quæ  
 ut genus nostrum suis laborat infirmitatibus, ita  
 no-

---

(\*) Sed adhuc rectius SAGACKHOMI (nomen enim JACKA-  
 SCHARUCK uni tantum genti Americanæ in usu, SA-  
 GACKOMI vero per totam Americam Septentrionalem  
 tam Europæis quam Americanis vulgatissimum, uti  
 Celeberr. Dn. PRÆSES me certiorum fecit),

nobis concessit medicamenta ex campis, montibus vel paludibus nostris colligenda, quibus ingruentes pelli possunt morbi. Miremur quoque, quod morbi ex luxu & rerum exoticarum nimis crebro usu contracti, adeoque nobis non proprii, externis facilius quam indigenis depellantur remediis. Parum igitur a vero abludit Dn. REINERUS SOLENANDER contendens nos ex herbis istis, quæ in unaquaque regione uberrime crescunt, concludere posse, quibus morbis incolæ istius loci maxime affligi soleant, ad quos sanandos Creator illas, loco nobis convenientissimo disposuit. Ob hanc igitur rationem inquit, invenimus COCHLEARIAM (*officinalem*) Sv. Skidtbluggs-gräs LINN. Fl. Sv. 577. Copiosissime in Dania, Frislandia & Hollandia crescentem, ubi incolæ sæpius laborant morbis scorbuticis, quam in alia quadam regione. Vid. Raij Hist. Plant. Libr. 16. cap. 3. p. 823.

Huic pollicem premit Illustrissimus atque excellentissimus Regis Regniqve Sveciæ Senator, Regni Cancell. Præses, Acad. Upsal. Cancell. Dn. Lib. Baro AND. J. VON HÖPKEN ita scribens: Ty om så år/hwisset ingen kan neka/ år då wål möjteligit at tro/det för de sjukdomar som wår lust och söda här i Norden af sig alstra/ skulle endast finnas bot i de södra länders orter? Är wål en sådan tanka öfwerens stämmande med GUDs Nådiga Försörg/ med Dess efter olika luster och belägenheter/ lämpade husholdning/ samt med den försarenhet wi dels redan

åga/ dels och tvåre kunna åga/ om vi det vele?  
 Vid. acta Scient. Holm. vol. 1. p. 263.

Hoc autem loco quosdam mihi objicientes audio: quod non omnis ferat omnia tellus, quo plantarum exterarum usum palliare nituntur. Hoc vero proverbio cum grano quodam salis est accipiendum. Etenim quæ desiderant homines, vel necessaria sunt, vel jucunda, vel denique superflua. Illa Summus rerum Arbiter incolis quarumcunque terrarum, si modo naturæ convenienter vivere velint, in ipsorum patria, vel saltem in finitimis regionibus benigne concessit, si quam vero anomalam hic quandoque deprehendat Naturæ minus attentus observator, caveat tamen ne a defectu cognitionis suæ, ad defectum virium plantarum nondum exploratarum præcipitanter concludat. Nec istis destituimus, quantum ad commodam requirantur vitam. Naturæ denique gratias debemus, quod hæc nobis denegaverit, quippe quæ felicitatem nostram rarissime promoverant.

Laudandum igitur magnorum nostri ævi Medicorum institutum, qui rejectis prolixis illis, quas veteres adhibuerunt formulis, numero ipso specierum ingredientium horrendis, in illarum locum substituerant simplicia, ex natali solo plerumque collecta. Imitantur sic præcepta GALENI, qui secundum ab Hippocrate locum in medicina sibi postulat, discipulis suadentis ut simplicibus jugiter uterentur.



Plura omnino adferri possunt documenta, ad vindicandam plantarum indigenarum præ exoticis in medicina præstantiam, sed qui in eximio hoc stadio eam laude versabitur, oportet FLORÆ & ÆSCULAPII mysteriis me magis esse initiatum.

#### §. IV.

Valeant igitur ampla medicamentorum repositoria, alia enim nos vocant, partim instituti ratio, partim etiam plantarum nostrarum varietas & præstantia. Juvat igitur per arva nostra exspatiari, & quantam primum in AGRICULTURA promovenda præstant utilitatem nostræ plantæ, paucis dispicere. Verum quidem est, quod non quævis tellus ferat omnia; nihilo tamen minus dantur certæ plantarum species, quæ sicut summa se commendant utilitate, ut eisdem genus humanam nequaquam carere possit, ita in omnibus ferme regionibus, debita accedente cura, excoli, & omnium climatum vicissitudines, proinde ac homines ipsi perferre possunt. Hæ autem ut sufficienti copia nullibi locorum sponte sua nascuntur, ita cum quædam ubique & quidem fere ultro vigeant, in civitatem plantarum indigenarum omnino sunt referendæ.

Huc imprimis spectat SECALE (Sv. Råg) & TRITICUM (Hwete) sustentationi aptissima; constat autem inter omnes, quod vegetabilia hæc corporis nostri constitutioni longe aptiora sint. ORYZA aliisque

que frumentis, ex terris meridionalibus ad nos ad-  
 vectis. Quod de Tritico & Secali modo dictum,  
 valet omnino de HORDEO & AVENA, quorum usus  
 cum lippis etiam & tonsoribus, ut dici sivevit, no-  
 tissima sint, eorundem expositio nostram non desi-  
 derat operam. Præter has autem plantas, in quib<sup>9</sup>  
 colendis Agricultura nostra occupatur, dantur plu-  
 rimæ aliæ herbæ, ex quibus urgente caritate anno-  
 næ, panis aliæque alimenta parari possunt, sed quæ  
 plerumque neglectæ incultæque a nobis contempnuntur.  
 Qui has nosse desiderat, adeat elegantissimam  
 Dissertationem, sub Præsidi. Nobiliss. Archiatr. & E-  
 quit. D. D. LINNÆI editam, *De plantis esculentis  
 Patriæ.*

In PRATICULTURA quoque adeo eminent nostræ  
 plantæ, ut exteris suas merito relinquamus, quippe  
 quæ non sine solerti cultura atque magnis impen-  
 sis vel comparantur, vel comparatæ crescunt. Sic  
 quam primum studium Oeconomicum apud nos  
 fervere cœpit, varias plantas, præsertim quæ ab  
 exteris laudabantur, ad nos transferendas curavi-  
 mus. E Gallia herbam quædam, ne quid omni  
 deesset, *Saint Foin* vulgo nominatam, quod fœnum  
 præstantissimum & copiosissimum, dum locis fere-  
 batur siccioribus & sterilioribus, præbere diceba-  
 tur, ad nos delata fuit. Natio Anglica, quæ  
 per Agri- & Prati- culturam maxime celebratur,  
 e Gallia hanc prius sibi acquisiverat herbam, cu-  
 jus frequenti cultura, lætissima facie riserunt prata  
 Bri-

Britannica. Crescit fama eundo, ardoremque, quo in disciplinas Oeconomicas feruntur nostri, vehementer auxit; quamobrem qui ceteris opulentiores fuerunt, in campis sterilioribus & collibus hoc gramen ferendum curarunt; sed oleum & operam perdidērunt, nam lenta velut tabe conficiebatur, & quod copia luxuriaret, tristes quasdam, easdemque raras protrudit stipulas. Postmodum constitit gramen hoc solum desiderare cretaceum, in nostris terris infrequens. Sed hanc jacturam facile perferre possumus, cum dentur plantæ apud nos sponte crescentes, quibus si culturam quandam impendamus, fœnum nobis & optimum & copiosissimum præbent. Inter has locum haud ultimum sibi vindicat *MEDICAGO* nostra *falcata* SV. LINNÆI *Nö. frö* Fl. Sv. 677. quam sancto gallorum fræno anteferendam esse haud immerito censemus. Planta Gallica, solo tantum cretaceo viget, hæc autem in plurimis locis siccioribus læte ridet; illa in calidioribus provinciis sponte proveniens, ærem frigidiusculum ægerrimè patitur, hæc autem cælo soloque nostro delectatur. (a)

E

Præ-

(a) Tales etiam sunt. *FESTUCA ovina*, SV. LINNÆI *Färgräs* Fl. Sv. 91.

*BROMUS pinnatus* Sparrlose Fl. Sv. 100.

*AGROSTIS graminacea* Piphwen Fl. S. 63.

*PHLEUM pratense*, variæ species POÆ & *TRIFOLIA* omnium specierum.

*MELAMPYRUM pratense* Rohwete Fl. S. 548.



Præterea sicut quædam plantarum nostrarum alimenta pecoribus præbent lautissima, ita aliæ sunt medicamenta morbis illorum quibusvis pellendis aptissima. Has autem omnes si recenseremus, extra oleas exspatiaremur.

In SYLVIS nostris præsertim tot tamque eximia occurrunt arbores, quæ non minus specie, quam utilitate eminent, quot apud alias Nationes frustra quærimus. Huc præcipue referri potest PINUS nostra *Sylvestris* Sv. *Tall.* Fl. 874. quæ Cypressum utilitate superat. Ex hac construimus optima ædificia, quæ vaporum atque exhalationum catervas, ut lateritiâ, non eructant; sed Balsamino quodam olfactu nos recreant. Lignum quoque, sicut nos a frigoris vehementia defendit, ita etiam dat carbones copiosissimas, quæ lithantraces, ab exteris multo labore effodi solitas, longo intervallo post se relin-

AVENA *elatior* *Knylbasre* Fl. S. 102.

AIRA *cespiosa* *Fåktåtul* Fl. S. 70.

Et LATHYRUS *pratensis* *Sigals* *arter* 647 aliæque hæc loca amant sicciora; sed humidiora postulant

ALOPECURUS *pratensis* *Ång* *fosse* LINN. Fl. 59.

TRIGLOCHIN *palustre* *R* *er* *fåltung* Fl. S. 323.

AIRA *caruica* *Blåttul* Fl. 67.

Loca iterum nemorosa, arenosa, paludes, littora marina, verbo: quivis fere locus, proprias quasdam apud nos sponte provenientes alunt plantas, equis, bobus, ovibus, caprisque gratissimas, quas hic enumerare instituti nostri non fert ratio.

relinquunt, sive utilitatem sive commoditatem illarum spectemus. Ex hac asses & Asseres constantissimæ, mali nautici, & quidem firmissimi, trabes, tignaue duratissima, pix etiam præstantissima tam alba quam punicea atque resina Terebinthina confici solent, quæ ab exteris cupidissime quæruntur, & care satis emuntur. Quamvis autem prolixum nimis foret, in singulos Pini usus inquirere, hoc tamen loco minime est prætereundum, quod nostra Pinus sit longe & præstantior & durabilior Americana, quæ in ædificiis & navibus conficiendis nostræ omnino palmam cedit.

Utilitates nonnullas saltem, quas ex una percipimus arbore, leviter perstrinximus, dies vero me deficeret, si quantum aliæ nostræ arbores vulgares, ut PINUS *abies* Sv. Gran Flor. 875. JUNIPERUS *communis* Sv. Enebårs-trådet Fl. 915. BETULA *alba* Sv. Björcken. Fl. 859. QUERCUS *Robur* Sv. Eken / Flor. 870. POPULUS *tremulans* Sv. Aspen Fl. 909. BETULA *alnus*, Sv. Ahlen / Flor. 861. pluresque nobis conducant, summatim exponerem. Lector harum rerum cupidus præcipuas inveniet recensitas in Nobil. Archiatr. & Equitis Aur. Dn. LINNÆI Flora Svecica edit. 2:da nec non in aliis nostris libris æconomicis.

## §. V.

*Sicilides Musæ paulo majora canamus,  
Non omnes arbusta juvant humilesve myrice*

HORTOS igitur nostros subeamus, quantum illi per culturam plantarum indigenarum excoli queant, paucis visuri. Sicut igitur & prodesse volunt & delectare Poëtæ: ita olitores suos ita instituent hortos, ut spectatores partim ex florum venustate, partim denique ex plantarum utilitate fructum oculorum capere queant. Quam lætâ autem facie plantæ nostræ sese conspiciendas præbent! quis purpura Rosæ aut candorem LILII justis celebrare potest encomiis. Nihil quoque spectare oculus potest, vel forma harum formosius, vel colorum quibus effulgent, varietate pulcrius, vel foliorum quibus contexuntur, nitore & compositione concinnius. Quid denique ut paucis me expediam, TULIPÆ mirabili varietate mirabilius, cujus colores, modo intensissime splendent, modo obsoleti videntur, modo læti, modo tetrici; nunc sèves, alias austeri; sic tamen alii in alios fluunt, ita sensim alii in alios abeunt, ita permisti copulatique cohærent, ut fugiente oculorum aciem, nexu pretiosissimos lapides inter juncturas rutilantes exhibeat. Contra ea pleræque plantæ quæ ex zona Torrida, imprimis e promontorio Capitis Boni Spei adferuntur, subtristi sunt facie, & portentosi quid præ se ferunt, nec tanto vigore gaudent, ac nostræ. Quis igitur dubitat quin hortis nostris exornandis, illæ sint aptissimæ?

Insuper vero propter usum, quem nobis præstant, & quæ exoticas longe antecedunt, nostræ plantæ commendari merentur. Ad fuscos certè Indos



dos haud opus est, ut transfretamus, ut olera, condimenta, fructusque sapidissimos comparemus ad cibi preparationem, siquidem constat hæc calida illorum Aromata sensum accelerare; dum contra quæ per sedulam horticulturam obtinemus, corporibus nostris meliora sanioraque sint. (\*)

E 3

At.

(\*) Huc præcipue spectat *ACORUS calamus* Sv. Rasmus, Fl. 297. quæ sicut tota est Aromatica, ita radix præsertim quod ad saporem, nihil plane cedere scribitur vegetabilibus Indicis, e. g. CINNAMOMO. PIPER ZINGIBER & CARDIOMOMUM, non adeo sunt præstantia, quin paria nostra tellus proferat: Sic refert Celeb. Lundens. Præs. Rosen quod femina *DAUCI carota* Sv. Morot Fl. 237. certæ variationis invenerit ita Aromatica, ut *CARDIOMOMI* saporem imitaretur. Vid. ejusdem *Observ. Botanicas* p. m. 13. variæ etiam *ALLII* species, in hortis nostris cultæ, in eiborum condimentis sapore grato non cedunt, & utilitate longe palmam præcipiunt exoticis illis, sanitati nostræ & commodo patriæ plus nocentibus quam profuturis.

*PRIMULA veris* Sv. Orslagg Fl. 171. ad olera merito referatur, cujus folia præcipue in acetariis, placentis, collyris, aliisque similibus, haud insipide adhibentur.

*CARUM carvi* Sv. Rummin Fl. 266. cujus radices *Parthenacis* in cibo delicatiores esse feruntur, feminaque variis in cibis condimenti loco usurpantur.

*CALENDULA officinalis* Sv. Ringonbemma Fl. 777. radio corollæ, pro *CROCO* (Safran) multi utuntur, qui boni & fragrantis tam saporis quam odoris est.

Atque hoc etiam valet de potulentorum generibus ex exteris regionibus advectis. Neminem enim negaturum existimamus, quod hæc maxima nobis

---

Flores GENISTÆ *tinctoria* Fl. 634. eodem modo condiri & usurpari possunt ac Flores Capparidis vid. Cel. D. Doct. & Prof. LECHE *Primit. Flora S.ania*. p. 15. multaque alia.

Cum autem de oleribus differimus, paucis adhuc memorabimus varias plantarum nostrarum prærogativas circa cibi præparationem.

Scimus nullum fere apud opulentiores parari posse cibum, in quo SACCHARUM non adhibeatur, recte an secus hoc fiat, nostrum non est operose jam disquirere; Cerrum tamen est & exploratum, particulas Sacchari tenuiorem ac debiliorem texturam corporis humani reddere, (vid. Oftermanni dissert. Sub ARCHIATR. LINNÆI præsidio, *Culina murata* nominata, in fine.) Quare in hujus locum successu haud infelici surrogare possumus varia ex indigenis vegetabilibus, ut ACEREM *Plantanoidem* Sv. Linn Fl. 924. quæ est lactescens, fauciatæque primo vere stillat aquam ex qua insignis Sacchari quantitas parari potest. vid. Acta Scient Holmiens. 1751. p. 150.

Ad hanc classem pertinet etiam HERACLEUM *Branca urfi* Fl. 243 ex cujus seminibus Poloni & Lithavi potiorum coquunt, Camschatsenses caules probe decoriatis comedunt, Russi denique hinc farinam dulcem, Saccharo analogam parant, quam convivis cupediarum loco offerunt, immo spiritus ardentis hinc eliciunt, teste Gmelino in descriptione Siberiæ p. m. 211.

Porro noto notius est, quod femina quædam in Polonia colligantur, quæ inde in Germaniam, & hinc in Pa-

nobis attulerint incommoda, quæ in §. II. prolixè exposuimus. Hoc tantum addimus, quod si quis arctam adeo cum libero Bacco inierit societatem, ut ab ejus usu ægre abstinere queat, huic tamen magis convenient vina quæ ex regionibus nobis propioribus nascuntur, faciliusque sitim extinguant, quam quæ vel ex Cypro vel ex Indiis ad nos adferuntur.

§. IV.

Plantas hætenus consideravimus, quæ alimentis & condimentis inserviunt, quæ vestimentis confici-

triam nomine granorum MANNÆ (Manna, gryn) vesta sunt, quæ in pulmentis magnatum ob vim nutriendi & saporem suum gratum non raro adhibentur; Hæc tamen ex FESTUCA *Fluitante* Sv. Manna, grås Fl. 95. parantur, quæ apud nos ubique in fossis argillois, aquis, copiosius quam in ulla alia regione crescit.

Similiter licet OLEUM OLIVÆ ex terris exoticis nostra deferant navigia; docuit tamen experientia, quod e BRASSICA *Napo* Sv. Gotlands *Rosiva* Fl. 609. variisque aliis plantis indigenis æque bonum exprimi & parari possit, vid. Archiatr. LINNÆI *iter Scania* p. 189. 354.

Pariter Pulverem capitis Sv. Puder, e CALLA *palustri* Sv. Måß Fl. 822. ejusdem præstantiæ cum exotico, qui ex Aro conficitur parari posse, haud ita pridem fuit detectum vid. *Act. Scient Upsal.* 1748.



ficiendis aptæ sunt, breviter & quasi per transennam erimus visuri.

Mittimus LINUM & CANNABIN, quæ adeo copiose apud nos crescunt, ut tantum non pro indigenis haberi queant, tantaque utilitate commendantur, ut exteris nihil plane cedant. An SERICO tanto successu tantoque unquam lucro, apud nos produci queat, sicut nonnulli sibi persuadent, tam solidis nondum evictum est argumentis, ut illis asurgere queamus.

Quod attinet ad XYLINUM, ex quo gentes meridionales ingentes quotannis faciunt quæstus, nobis pœnas dementiae illis sponte dantibus, eodem facile fere carere possumus, cum pappus SALICIS *pentandrae* Sv. Jölster Fl. 879. eximium nobis præbeat Gossypium. Paria commoda quoque e SALICE *caprea* Sv. Sälq Fl. 900. atque EPILOBIO *Angustifolio* Sv. Himmels-gräs Fl. 327. sunt expectanda: de quorum præparatione & præstantia prolixè egit Dn. Præpositus VESTBÆCK in tractatu, *Underrättelse om en påfunnen 2:ne slags Bomull, som ymnigt växer i hela Riket. Tryckt i Stockholm 1745.*

Gratam autem speciem non præbent vestimenta, nisi pulchris & exquisitis imbuantur coloribus. Quantum igitur valeant indigenæ plantæ, paucis erit ostendendum, ne quidquam temere omisisse videamur. Jure proinde meritoque ambigimus, an ulla sub sole Provincia ejusdem cum nostra amplitudinis detur, quæ tantam copiam plantarum tinctoriarum proferat. Facile damus, ne invita veritate

tate quid adseruisse videamur, plantas exoticas præstantiores, & nitidiores subinde præbere colores; Sed nisi omnia me fallant, hoc inde provenit, quod eo studio, eaque qua decet *ἀρετή*, proprietates plantarum nostrarum nondum excusserint Eruditi, admiratione exterarum immane quantum capti; sed isthanc curam, quæ maxima omnino censei debet, imperito vulgo reliquerint. Quamvis autem Tyri- os murices, aliaque pigmenta, an inventa vel Fig- menta dicenda sint, nescio, apud nos non reperi- antur, nihilo tamen minus plantæ, quas terra no- stra alit, quibusdam ab exteris regionibus, ad nos advectis non solum æquiparandæ, verum etiam il- lis meliores sunt, quarum exiguum tantum fascicu- lum Tibi B. L. jam porrigimus (\*\*).

**F** **Plu-**

(\*\*) Huc imprimis pertinent

*ISARIS tinctoria* Sv. *Weiße Fl.* 614. quæ ab exteris regionibus quotannis magna copia in patriam transfertur, licet facillime apud nos ubique jam fere colatur, & spon- te variis in locis Patriæ crescat. Facultæ herbæ hujus caruleum præbent colorem LINN. *Iter Westro. Goth.* p. 110. 127.

*RESEDA Luteola* Sv. *Wau Fl.* 424. pulcherrimum lu- teum dat colorem, proindeque frequentissime a Tinctori- bus adhibetur; hæc quoque care facis ab exteris redimi- tur, quamvis nostro coelo soloque delectetur. Görtingii Dissertat. sub Archiatr. LINN. Præs. *De Plantis Tinctori- ris* p. 18.

Floribus autem præstantiam plantarum indigenarum præ exoticis persequi, prohibet cum festinatio, cum magnitudo voluminis, qua nemini tædium aut fastidium movere volumus. Satis diu pro

ASPERULA *Tinctoria* Sv. Färg-madra Fl. 121, æque nitidum præbere dicitur colorem atque exotica illa RUBRA *Tinctorum* Sv. Krapp Spec. Plant. 109. vide *Ab. Holmief.* 1742. p. 27.

SI ANCHUS *officinalis* Sv. Örtunga Fl. 161. corollæ adhuc recentes exprimantur & succus cum alumine coquatur, hic vestimenta gratissimo viridi colore imbuunt. Præterea ex radicibus quondam rubrum colorem elicuisse, accepimus.

BERBERIS *vulgaris* Sv. Berberis Fl. 311. Cortex flavissimus luteo eodemque gratissimo colore coria tingit Sv. (*Saffian*) quare non opus est amplius e Polonia hæc pigmenta ad nos deferre.

SERRATULA *tinctoria* Sv. Sång-såra Fl. 713. luteo non minus colore tingit injecta vestimenta quam RESEDA *luteola*, licet tantum nitorem illis non addat atque hæc. Enimvero ut diu consuevimus, naturæ dotes, quæ apud nos prostant, contemnere; ita hanc indigenam licet, ab exteris comparavimus nationibus. LINN. *Iter Westro-Goth.* p. 10. 64. ejusdem *Iter Scan.* p. 201. 284.

Pannis quoque luteo colore tingendis infertur GENISTA *Tinctoria*, Fl. 634, quam copiosissima in Westro-Gothia crescere observavit Acutissimus Botanicus & Celeberr. Dn. DOCT. & PROFESS. LECHE, vide hujus *Primitias Fl. Scan.* p. 15.

LICHEN *tartareus* Sv. Byttelått Fl. 1070. debito modo paratus, purpureum dat colorem, LICHENIQUE *Arosella*



pro instituti ratione, per amœnissimos Floræ cam-  
pos, non absque voluptate exspatiati sumus.  
Nempe

- - - trahit sua quemque voluptas.

*Jam sed aratra jugo referunt suspensa juvenci;  
Et Sol crescentes, decedens duplicat umbras.*

Manum igitur de tabula: DEO interim T. O.  
M. propter ingentes suæ bonitatis Thesaurus, nobis  
abunde concessos, sit Laus & Gloria in secu-  
la seculorum.

T A N T U M.

(Gallice *orsaille*) Spec. Plant. 1154 succedaneum, forte  
etiam æqualem. vide *Acta Holmiens.* 1745 p. 275.

Denique notari merentur SCLERANTUS *perennis* Fl.  
378. HIERACIUM *pilosella* Sv. Musœon, Fl. 697. & AR-  
BUTUS *uva ursi* Sv. Miösoneris Fl. 358. ad quarum radices  
ferunt infecta quædam hospitari, quorum femina gravidæ  
exsiccatæ adeo lætum rubrum colorem præbent, ut non  
tantum amœna specie, nihil sedat pigmento, quod e Cocco  
*casti* Syst. Nat. 458. p. 17. illa Americæ meridionalis herba,  
paratur, cujus usus in arte Tinctoria frequentissimus est  
& vulgo COCCIONEL dicitur, sed & ad veterum PURPURAM  
Rhetorum & Poëtarum coloribus hodiernum illustrissimam,  
proxime accedat. Ex nostris infectis modo memoratis pa-  
ratùr Coccus POLONICA (Polsska Skarsafans fârgen,) quæ  
si sedula accedat cura, ita excoli & promoveri potest, ut  
exoticis supersedere queamus mercibus. *Vid. Acta Upsal.*  
1742. & 1752. &c.



Fågne, betyg til AUCTOREN,  
Herr HANS HENRIC ASPEGREN.  
Min Herre,

At så olika hwar Orts aflastningar på vårt jordaflot äro, så skiljaktiga skola och finnas deras Inwånares nöd-  
torfter, wintar alla Förfäders opartiska utsagor, all dag-  
lig förfarenhet; men em hwar Orts produkter äro tillräckelige  
til sina Inwånares uppehälle och nödtorfst, samt de tjenligaste  
til deras wälmåga och hälsas widmakthållande, hafwa wi i kraft  
af det synnerliga tycke, och den förwända smak för allt hward  
Utländskt heter, mera sökt nekta än bifalla, oansedt samningen  
handgripeligen häraf tycks ligga of för ögonen, genom den till-  
räckelige ymnighet, som i egen Fosterberbygd finnes, af allt det  
til vår nödtorfst fordras, när yppighet, som gemenligen i hward  
samhälle äger de swåraste påföljder, undantages.

Huru Inländska redbara produkter ej i framtiden kunna  
förstå at betala de dageligen til vår Nord inkommande Utlän-  
ske yppighets warer, har af flere rättssinte Patriotor tid efter an-  
nan blifwit wist; men huru de Utländske waror otroligen för-  
swagadt våra Kroppar til hälsan och styrckan, samt hward för-  
retråde våra Inländske deremot i anseende til vår Kropps con-  
stitution äga, hafwer af nog få blifwit påtänkt.

J, min Herre, som ej än hunnit spegen af Parnassi lufs-  
liga Kulle, hafwen dock ej allenast genom egen slit och andras  
handledande under resan warse blifwit vår Nords pragt och  
förmohner för andra Länder; utan J hafwen ock tagit Eder före, at  
det samma för allmänheten wisa, bewisa, och offentligen försäkra.  
Zag som lyckan gynnat at i flera måhl förfara min Herres  
wårda förtroende, har häraf ej annat kunnat, än wid ett så  
fårt tillfälle yppa härmed, efter min förnåga, min hjärteliga fäg-  
nad, jämte önskan, det Allmakten måtte så gynna des rena af-  
sigter, som hwar rättssint det önskar.

Förblifwer med ofdranderlig upriktighet

Min Herres

ödmulte Tjenare

CARL JOHAN GAHMBERG.